DE

DISPUTATIONIBUS THEOLOGICIS

IN UNIVERSITATE TUBINGENSI

EXEUNTE XVII° SAECULO

Parisiensi Theologicae Facultati ad obtinendam licentiam exquisitionem hanc proponebat

L.-J. NAZELLE

ALENCONII

EX TYPIS Vae FÉLIX GUY

11, IN VIA DICTA *de la Halle-aux-Toiles*, 11

—

1907

DE

DISPUTATIONIBUS THEOLOGICIS

IN UNIVERSITATE TUBINGENSI

EXEUNTE XVII° SAECULO

Praeside Vir. doct. JOH. VIENOT

Solemne exercitamentum moderabuntur doctissimi triumviri

Joh. VIENOT.
J. MONNIER.
R. ALLIER.

S.S. Theol. D.D. et P.P.

N° 414

ERRATA

pag.	lin.	lege :
6	5	disputationibus.
9	9	constituendam.
»	11	contra.
12	1	eandem.
»	5	adeo.
»	24	neganti.
19	11	Concilii.
23	23	irritum.
24	2	verbo.
»	21	concordiae.
28	10	quum.
30	4	terreni.
»	15	XVIi.
»	23	disseruit.
36	22	lapsum.
»	25	erroris.
41	1	Pragmatologica.
42	6	capitales.
43	8	tantum.
45	13	vituperantur.
»	22	scilicet.
46	3	veritatis.
»	13	invenires.
»	19	ultima.
»	22	alto.
»	26	audet.
47	16	*heb. lit.* Daleth.

DE

DISPUTATIONIBUS THEOLOGICIS

IN UNIVERSITATE TUBINGENSI

EXEUNTE XVII° SAECULO

Parisiensi Theologicae Facultati ad obtinendam licentiam exquisitionem hanc proponebat

L.-J. NAZELLE

ALENCONII

EX TYPIS V.ae FÉLIX GUY

11, IN VIA DICTA *de la Halle-aux- Toiles*, 11

—

1907

PRAEFATIO AD LECTOREM

Theologicae exercitationes, quas examini publico in Universitatibus proponere solent, plerumque inspirantur praeceptis doctorum quorum discipuli auctores fuerunt. Quamobrem non irrito labori operam dederit, qui ad antiquas dissertationes indagandas — quamvis haud magni sint pretii — se contulerit, quoniam, istis evolutis, eruditorum per haec tempora doctrinas nancisci licet.

Quum quidem meas in manus pervenerit compilatio exercitationum quae in Tubingensi universitate, sub XVII[i] saeculi partem ultimam ventilatae fuerunt, haud itaque oleum et operam me perditurum existimavi si libellorum horum doctrinam perquirere et exponere coner ; Tanto magis quod certum habemus Universitatem illam Tubingensem non parum momenti habuisse ad Lutheranam Ecclesiam in Gallia regendam. Etenim per XVII[m] saeculum duces Wurtembergiae fuerunt et Comites Montispeligardenses, cujus regionis theologi theologicis disciplinis in Tubingensi Facultate nutriti fuerunt. Itaqne ad

rerum theologicarum nostrarum historiam, historia pertinet Tubingensis Universitatis, cujus ab eruditis magistris in sacris literis per longum pastores fere omnes Montispeligardenses instructi fuerunt.

Inter professores hos qui disputatinibus nostris praesiderunt, nuncupari imprimis expedit Cancellarius *Joh.-Adam. Osiander*, qui omnibus praefuit exercitationibus de articulis Augustanae Confessionis, quique Fidei a XVIi saeculi doctoribus traditae fortis defensor fuisse videtur, et professor ordinarius *Georg. Hen. Haeberlinus*, qui nonnulis controversiis de veteris Ecclesiae moribus praefuit. Denuoque decet *Michael Mueller*, Theol. professorem et Tubingensis Ecclesiae pastorem, et decanum *Georg. Keller*, citare.

Inter respondentes quorum nobis venerunt positiones, nonnullos invenimus qui viri amplissimi in Theologicis studiis deinceps facti sunt. Ex quibus primo loco opportet nominari *Wolfgang Jaeger*, qui dissertationem amplam *de statu Ecclesiae primitivae et modernae*, Adamo Osiandro praeside, anno MDCLXXXIX proposuit, quique brevi postea Universitatis Tubingensis Cancellarius designatus fuit ; citare quoque aequum est nomina *Andreae Hochstetter* et *J. C. Klemm*, qui in eadem Universitate, ineunte XVIIIo saeculo, professores eximios exstiterunt.

Horum virorum breviter sententias exponere in libello isto meo tentavi. Ut vero hoc unum maximae fuit curae Tubingensibus, Ecclesiam scilicet Lutheranam defendere, ante omnia exponendum existimavi quid intelligerent illi quum de Ecclesia agebatur; inde ad Ecclesiae Fidei defensionem porrexi; de quibus pro augustia chartae, temporis et ingenii tractavi. Ceterum in conatu hoc multa desidero ipse, tantum absit ut eum, tuae, benevole lector, exspectationi per omnia responsurum esse, mihi persuadeam.

CAPUT I

DE ECCLESIA

---

§ 1. — De Ecclesia Lutherana

Auctores universi dissertationum quae, in Tubingensi theologica Facultate, publicae disputationi propositae sunt, circa XVII[i] saeculi finem, Ecclesiam esse unicam, Lutheranam scilicet, cui non reformationis modo aut mutationis opus esse negant, sed etiam quam sanctam et veritatis interpretem, erroris immunem, asserunt. Lutheri insuper scripta documenta tanti habent momenti quae fere Sanctae scripturae ad constituen am fidem acquipararent. Ab eisdem Lutherus *Beatus* vocatur semper, dicitur et *Megalander*[1], dum cantra doctores quorum doctrina a Lutherana discordat, acerbe increpantur[2],

[1] V. *Jacob Schülin : De Tolerantia christianorum fraterna.* Anno 1688.

[2] Schwenfeldus *hallucinatur* ; Anabaptistae *non recto incedunt pede ;* Grotius *claudicat* ; *Bohemius somniat, spiritu fanatico pharisaico ductus etc.*

quos enim haereticos et hostes dicunt. Ideoque Calvinianos, Anglicanos et quosvis protestantes alios odio habent, quos criminibus diversis, vel crudelitate in Lutheranos accusare non dubitant [1].

Maxime scriptores nostri odio habent sectatores doctorum germanicorum qui ab *orthodoxia* Lutherana dissentiunt, schwenkfeldianos, scilicet, et Anabaptistas et alios, ex quibus infestissimos habent discipulos Jacobi Bohemi, illius Gorlizensis sutoris, qui « alto, ut aiunt, supercilio despiciunt naevos ab ipsorum moribus adharentis et absque discrimine omnes in universum nomine Babelis apocalypticae seu Regni Antichristi traducunt »[2].

[1] Testis his Cucuelis verbis : « Tali quoque spiritus Calviniamus modo gaudet, teste ad reformandum Palatium suggestione per ascriptum distichon :

O Casimere potens, servos expelle Lutheri,
Euse, rota, ponto, finibus, igne, neca.

Doctoribus Lutheranis in exilium pulsis, publice pro concione Witebergae Pierius hisce virulentis et sanguinolentis usus est formalibus : « *Man hat lang genug mit schwartzer Dinten geschrieben, man muss einmal auch mit rother Dinten schreiben* ». Calvinianos et catholicios pares judicat iste Cucuel quum haec addit : « Notum itidem est, nihil in papatu esse frequentius, quam, per carceres, homicidia, excommunicationes, tormenta, persecutiones, cogere Christianos ad abjurandam suam religionem. »

[2] V. *J. Schulin*, op. cit, p. 22.

Multum quoque increpantur quos vocant *Enthusiastos* vel *fanaticos*, quique, nostra sententia, discipuli sunt istius Jacobi, nedum sint Speneri socii. Etenim libellorum auctores nostrorum quos, « fanaticos » vocant, semper de odio in Ecclesia incusant et dicunt *schismaticos* et separatistas (sic), quod sane cum doctrina Speneri nullo modo congruit, qui contra fidelem et semper Ecclesiae deditum se praebuit. Insuper Speneri et *collegiorum pietatis* nomina ne referuntur quidem in dissertationibus nostris. Quod demiraris forsan ; quum Spenerus ille nuper in Tubingensium urbe vixisset et docuisset [1] ; sed, ut, constat, Spenerus nunquam fuit Ecclesiae Lutheranae adversarius et ideo non erat theologis opus quin Ecclesiam suam defenderunt ; *Ecclesiolae* enim quas ille condiderat, non quidem *extra Ecclesiam* sed *in ipsa Ecclesia* existebant.

In dissertatione *De tolerantia Christianorum fraterna*, quam jam citavimus, doctrina Tubingensis de Ecclesiis exponitur. Materiam suae disquisitionis excerpit auctor ex loco Rom. XIV 1 « *infirmum in fide assumite* ». Objectum tolerantiae, inquit Jacobus ille, est frater infirmus, « frater, inquam, h-e, eundem cum omnibus fidelibus Patrem in

[1] Anno 1662. V. *Nanz* der Pietismus in Wurtemberg. *Panchaud* : Spener et le Piétisme. Lausanne 1890.

cœlis colens, et candem cum iis in his terris matrem habens, catholicam videlicet Ecclesiam, fide vera et charitate sincera conjunctus ».

Ex his verbis patet consequentia : « quia dicitur infirmus *fide*, adcoque fide non destitutus neque, fidei repugnans, sicut qui corpore infirmus est, vita non destituitur, licet tanto vigore non gaudeat, quanto sanus et robustus ».

Solis igitur a fratribus veris, scilicet eadem fide gaudentibus, quam Ecclesia Lutherana proclamat tolerantia fraterna poscenda est. « Neutiquam igitur eo extendenda est fraterna ista tolerantia, ut in communionem Ecclesiae assumantur aut pro fratribus in Christo agnoscantur, qui fidei verae ac salvificae non adstipulantur, sed eandem impugnant, aut talia defendunt, quibus vera ac salvifica fides evertitur, aut vita profani sunt, indulgentes absque omni emendatione seu paenitentia operibus carnis sanctitati Chistianae adversis ».

Inde multum laudat scriptor noster Lutherum qui in colloquio Marpurgensi fratres non voluit habere Aecolampadum et Zwinglium « quos vel in libris suis docuerant, vel qui de ipsis sparsi fuerant, sed etiam in sua sententia, negauti praesentiam corporis et sanguinis Christi in S. Caena, persistantibus, et hac non obstanti, dextram fraternitatis petentibus,

eandem denegavit et consentire non voluit, quin potius duriter eos allocutus est dicens : Valde a se mirari quod ipsum pro fratre agnoscere vellent, si modo doctrinam zwinglianam veram esse crederent ; ipsorum petitionem de fraternitate satis ostendere, quod nec ipsi quidem suam propriam sententiam de hoc negotio satis, pro certa haberent aut magni fecerent ».

Laudatur etiam Lutherana acrimonia in urbes quatuor helveticas quae zwinglianas sententias sequebantur, cum eaedem vehementer cuperent ut Helvetii in foedus smalcadicum reciperentur, Elector Saxonicus per legatos respondit : « Quoniam Helvetii de cœna Domini diversum sequantur dogma, non sibi licere societatem cum ipsis nullam coire. »

Fraternitatem ergo ab auctoribus admittitur nostris, sed cum fratribus tantum, et fratres habent solum quos omnem et integram Augustanam tenent doctrinam. Sic tandem argumentum colligit Schulus noster : « Contra tolerantiam Christianam fraternam illi peccant, qui ab illis, quibus cum concorditer vivere deberent, leviculis de causis discedunt, et unitatem Ecclesiae scindunt » [1].

[1] Praeses Haeberlin dissertationi haec verba apposuit :
Fermentum veramque fidem discernere tantas,
Non fermentatum te Deus usque beet.

§ 2. — De pastoribus et ceteris ecclesiae ministris.

De ordine ecclesiastico Tubingensem doctrinam exposuit *J. Wolfgang Jäger* in suo libello *De statu ecclesiae primitivae et modernae*[1].

Ecclesia est Dei domus in quo sunt ministerium et ordo. Ex apostolica sententia (in loc. Ephes. IV, 11) non est discrimen inter pastores et doctores, nec inter presbyterum et episcopum. Asserit insuper Wolfgang quod episcopalis praerogativa ex humano si jure, sicut et metropolitanorum et patriarcharum eminentia.

Inde accedit ad « acropolin Primatus Romani id est ad dictum Matth. XVI. *Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam;* de quo quatuor sententias exponit ;

Primam. Catholicorum qui censere solent Petram de qua Christus loquitur Petrum esse, id est « illam personam quae diabatur Petrus, non tamen est persona particularis sed ut pastor et caput Ecclesiae » ;

Secundam. Erasmi, cujus sententia, haec petra est *omnis fidelis homo ;*

Tertiam. Calvini, Petram illam esse *Christum ;*

[1] Quam pro obtinendo in SS. Theol. gradu supremo defendit sub praesidio J. Ad. Osiandri, anno 1689.

Quartam. Lutheri, fidem seu fidei confessionem esse illam petram.

Jaeger ipse hanc petram intelligit non aliam esse quam Christum ipsum quem Petrus confessus erat [1].

De vocatione ministrorum Ecclesiae sic disputat Gabriel Westphal [2] :

Jus primum et summum mittendi aut vocandi praecones gratiae Dei solius est. *Jus* tamen *delegatum* a Christo concessum est universali Ecclesiae, exercitur vero ab particularibus Ecclesiis. Ecclesiae ergo protestantes ministros et pastores suos eligere et constituere possunt [3]. Haec est sententia alii scriptoris nomine *Stuber ;* sic enim eloquitur iste : « Vocatio divina immediata hodie expiravit, nunc est *mediata* quae per homines administratur, ex potestate quam Christus Ecclesiae dedit .. In quibusdam Ecclesiis populus, abdicato quasi jure suo, magistratui et ministerio ejusdem confessionis socio has partes cedit, et in illius volun-

[1] De eadem disputatur materia *J. Lud. Caspar* in libello *De statu ecclesiae primitivae* (ann. 1691). Tres proposuit questiones. I. An universalis monarchia et regimen absolutum Ecclesiae Petro promissum fuerit in illis verbis : *Tibi dabo claves regni cœlorum ?* II. An locus. J. XXI : Pasce oves *meas Petrum* faciat episcopum universalem Ecclesiae ? III. An legitima sit Episcopi romani praetensio circa jus appellationis ultimae in causis ecclesiasticis ?

Quibus quaestionibus negationem opposuit scriptor.

[2] Anno 1691.

[3] *De ordine ecclesiastico,* 1686.

tate ac delectu secure acquiescit ; in quibusdam jus suum confert in certas personas honoratiores, quae populi nomine omnia peragunt : neutro modo jus vocandi ad totam Ecclesiam pertinere desinit. »

Ab auctore eodem referuntur Gallicanae confessionis verba quae multum probat : « Credimus, nulli jus esse sua auctoritate invadere Ecclesiae gubernacula, sed legitima electione, quoad ejus fieri potest, et quandiu Dominus ejus rei potestatem facit praeeunte, adscisci unumquemque oportere, etc.

Sed Romani doctores Lutheranis objiciunt multum de Lutheri vocationis vitio. Ecclesia Romana, dicunt isti, tempore primorum Reformatorum, vel fuit haeretica vel non. Si fuit, quod Lutherani asserunt, et ideo successionem faciunt, tunc non habuit legitimam potestatem pastores mittendi, nec potuit legitime Lutherum et socios mittere. Si non fuit haeretica ergo sunt haeretici Lutherani contradicentes Ecclesiae Romanæ, et ita non habent potestatem mittendi pastores, et destituuntur jure vocandi ministros Ecclesiae.

Responsum Lutheranorum ita se habet : « Quamvis concedamus Ecclesiam Romanam jus vocandi ministros Ecclesiae habuisse, non tamen concedimus quod jus illud vocandi habeat aut exerceat *solitarie*,

[2] Gab. Westphal, *op. cit.*

sive cum exclusione aliarum Ecclesiarum... est enim potestas illa, ministeria Verbi constituendi, *jus* quodam *delegatum* universali et catholicae Ecclesiae concessum, quod non nisi per sacrilegium, magnus licet cœtus, ad se solum rapere potest... Habuit itaque Ecclesia Romana, tempore Lutheri, imo et hodie habet, tot licet erroribus et falsis cultibus obsita, veram ministros Ecclesiae vocandi potestatem, quam etiam vocando Lutherum et alios exercuit, ipsisque ministerium Evangelii sive verbi et sacrementorum valide et efficaciter commisit » [1] adeoque patet Romanorum argumentum nullum esse et Lutheri et aliorum vocationem non nullam aut invalidam fuisse.

Ex his augmentis manifesto liquet Tubingenses :

1° Jus mittendi aut vocandi ministros et pastores Romanae Ecclesiae non abnegavisse.

2° Jus hoc tribuisse Ecclesiae universali et inde Ecclesiis omnibus quae catholicae seu universali participes veniunt.

3° Jus vocandi pastores in Ecclesia Lutherana manare, ex ipsorum sententia, ex Lutheri vocatione et aliorum qui a Romana Ecclesia ministerium acceperant.

*
* *

[1] Gab. Westphal, *op. cit.*

De mutatione pastorum qui ex quadam *Parochia* in aliam migrare cupiunt, sic argumentatur *J. Fred. Flurerus*[1].

Discernitur mutatio privato ausu quaesita ab illa quae auctoritate publica facta est, quam unice probat noster, qui quidem regulam proponit Canones Concilii Antiocheni quorum articul III sic se habet: « Si quis presbyter, vel diaconus, vel quilibet clericus, deserta sua Ecclesia, et ad aliam transeundum esse crediderit, et ibi paulatim tentet, quo migravit, perpetuo manere, ulterius ministrare non decet, praesertim si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit adhortatus. Quod si post evocationem sui Episcopi non obedierit, sed inobediens perseveraverit, omni modo ab officio suo deponi debere, nec aliquando spem restitutione habere etc. »

Attamen hoc est in dubio : « Si quis e pinguiori parochia ad aridiorem, ubi tamen major auditorum copia, vocetur, an teneatur parere ? » Responditur : Tutius feceret ac generosius, si paruerit; si tamen eo Ecclesia quae vocat commode carere poterit et Ecclesia a qua vocatur aegre dimissura videbitur non debet ei deprecatio vitio victi. »

Sed de his argutiis satis.

* * *

[1] *De promotione, et remotione pastorum anno* 1684.

Ex Tubingensium sententia pastorum officium ex duabus constat ministeriis, *sacramentorum* scilicet *dispensatione* et *privata confessione.*

De sacramentorum dispensatione Augustana doctrina defenditur ab omnibus nostris auctoribus[1] quam ad firmandam suum *de hypocritis* et *malis ecclesiae ministriis* libellum conposuit *Christ Conrad Joss*[2] Sententia Lutherana, inquit, consentit cum sancti Augustini doctrina, quae quidem docet sacramenta rite administrari a malis vel hypocritis Ecclesiae ministris. Increpat contra auctor noster Concelii Tridentini doctrinam quae requirit ad sacramentorum integritatem ministrorum saltem intentionem, vituperat quoque vehementer schwenkfeldianos dum statuunt: non operari a Deo hominis conversio per impios ministros, malamque et falsam anabaptistarum dicit doctrinam quae sic a Bullengero refertur. « Prima et praecipua ratio anabaptistarum, qua probant nostras Ecclesias non esse veras Ecclesias, et ideo se ab illis separare oportere, talis est : In ipsorum Ecclesiis anabaptisticis esse manifestam

[1] Ita se habet art. VIII Aug. Conf : « Sacramenta et verbum propter ordinationem et mandatum Christi sunt efficacia etiamsi per malos exhibeantur. Damnant Donatistas et similes qui negabant licere uti ministerio malorum in Ecclesia et sentiebant ministerium malorum inutile et inefficax esse. »

[2] Anno 1686.

vitae emendationem, sed in Evangelicis Ecclesiis nullam deprehendi emendationem, verum plebem absque resipiscentia vivere obnoxiam peccatis. »

Argumentum sic colligit Joss: « Certum est sacramentorum efficaciam non pendere a dignitate aut indignitate administrorum, qui publice legatione funguntur, sive boni sint, sive mali. Malos quidem male perdet Dominus, non propterea tamen gratiam suam denegabit iis qui utuntur ministerio eorum quorum mores non probant. Sed nec etiam ab intentione ministri pendet efficacia sacramenti, quae cum nulli homini certo nota sit, incerta pendebit omnium sacramentorum virtus, si huic dogmati quod in Ecclesia Romana commune est, fidem adhibeamus. »

Quod autem ad *confessionem* attinet, enucleate exposuit *Lud. Hercules Daser* [1], qui Doctrinam Lutheranam in Calvinianos et Romanos defendere conatus est.

Errant, inquit ille, Ecclesiae romanae doctores, dum asserunt, jure divino, esse confessionem necessariam et ob illud esse retinendam ; errant insuper iidem cum confessionem dicunt opus esse supererogativum; errant denique dum calumniantur periculosum esse apud Lutheranos confitere peccata

[1] *De confessione*, anno 1686.

propter loquacitatem confessariorum, nulla lege coercitam.

Errant quoque Calviniani dum odio absolutionem habent, nedum declarationem et annunciationem remissionis peccatorum.

Schwenkfeldianorum et Photinianorum dictis tandem refutatis sic suam exponit sententiam auctor : « hos omnes haereticos non posse argumenta sua statuere (dico), quia neque de vocatione ministrorum recte docent, neque de sacramentis pie sentiunt, neque de fide sincere disputant, ipsaque peccatorum remissione.

*
* *

De pastorum conjugio disputat *Fredericus Haage* in dissertatione cui titulus est : *Torus clericorum*[1] in qua vehementer de caelibatu agreditur Romanam doctrinam et S. Scripturae verbis, patrum testimoniis, potestatem matrimonium contrahendi Ecclesiae ministris esse probat. His pontificis Romani Pii II celeberrimi verbis finem facit disputationis : Sacerdotibus magna ratione ademptum conjugium, majori restituendum[2]. »

[1] Anno 1691.

[2] Verba haec adjecta sunt disputationi a fratribus Haage :

Mystarum Thalanum, frater, defendere tentas,
Quapropter vero, quaesumus, hoc facias ?
Et forsan Thalami sociam nunc expetis ipse ?
Hanc tibi monstret Hymen ; adsit et ipse Deus !

§ 3. — De magistratu politico

An cura religionis ad magistratum politicum spectet ? Huic quaestioni sic respondítur *a Gothofredo Pfaff*[1] : Deus ordinis politici est auctor, ideo cura religionis spectat ad magistratum politicum, sed neganda est sententia istorum qui magistratum ecclesiasticae potestati subordinant, multo magis eorum qui eundem defensorem Ecclesiae et executorem quorum ab Ecclesia determinantur habere contendunt.

Ita suam proposuit doctrinam Gottofredus Pfaff : « Praeter portionem quae ei competet tanquam nobili Ecclesiae membro, si Christianus sit, tribuimus ei (magistratui) jus et authoritatem, tam in personas quam res et bona ecclesiastica, non quidem exercendo juridictionem internam, quae constat in publica Verbi praedicatione, sacramentorum claviumque administratione, sed exteriorem consistentem in directione, convocatione synodorum, legum ecclesiasticarum constitutione, ad exemplum Davidis, ordinem inter Levitas constituentis ; Salomonis, aedificium Templi procurentis, summumque sacerdotem ab officio removente. »[2]

[1] *De magistratu politico.* Anno 1681.
[2] Page 17.

Licet insuper magistratui irrogare paenas capitalis. Etenim si magistratus non frustra gerit gladium utique etiam adversus facinosoros et sontes, eum debet stringere.

Negat Pfaff personas ecclesiasticas a potestate civili exemptas esse, quod Bellarminus asserit. Inclyti illius Cardinalis sic argumentum refertur ab auctore nostro : « Id nunc sunt in Ecclesia Clerici, quod olim fuerunt Levitae in V. T. atqui Levitae in V. T. a juridictione Principum fuerunt exempti ; Ergo hodie clerici exempti sunt.

Sed negat Pfaff Levitas a juridictione Regum et magistratus civilis exemptos fuisse. Testem enim habet Reg. II 26. ubi Salomo rex, propter crimen laesae majestatis, Abiatharem pontificem non solum sacerdotis exuit, sed et morte mulctavit.

Quam regum in rebus ecclesiasticis potestatem confirmat quoque. *J. Christ. Cucuel*, qui principibus non solum potestatem regendi ecclesiam tribuit, sed insuper criminis haereseos castigandi.

Persecutionem quidem quae ab ecclesia ipsa exercitur vituperat, quam pharisaicum convertendi modum insuper insanum et icritum habet : « Recta, inquit, legitima, salutaris, Deo placens, benedicta et in scripturis approbata convertandi et Reformandi ratio est, non cogere corpus, sed persuadere animae, non quidem persuasione seducibili, carnali, mun-

dana, diabolica, ... sed per evidentem convictionem, post credibilia adhibita motiva, ex vebo Dei ».[1].

Quae pulchre et recte dicta nullo dubio habemus, sed mox haec addit ille Cucuel : « quamvis magistratus non sit concientias per expulsionem violentam ad religionem cogere, tamen non debet vagam quidvis docendi, profitendi et exercendi licentiam permittere, sed mature animarum seductoribus, si fieri potest, extra urgentem necessitatem, obicem ponere. »

Attamen cujusdam modi est necessitas in jure hoc a magistratu exercendo : « pie autem cavendum est magistratui politico in repulsione seu abolitione heterogeneorum cultuum ne autocratoricos agat .... priusque consideret quousque diversa religio imperium occupaverit ; annon ejus repulsio seu expulsio consvulsionem Insperii secum trahat, annon fieri potest, ut nullus naevus, ut *syncretismus*, cum approbata religione exinde oriatur, annon spes sit, per tolerantiam impetrandae concerdiae. Si magistratus politicus haec omnia probe perspecta habeat, et ejus modi spes adsit, tum potius diversam religionem tolerari posse, quam repelli ant expelli. »

His ex verbis patet auctorem nostrum veram ac

[1] *De Reformatione Ecclesiae*, MDCXCI.

plenam libertatem non optavisse sed ex necessitate tantum temporum, tolerantiam quibus ab approbata religione dissident tribuendam abitrari. Insuper negat jus occidendi haereticos, magistratui politico, vi legis. Deut. XIII, 5, vel exemplo Eliae trucidentes Baalis sacerdotes, tributum fuisse.

CAPUT II

DE ECCLESIAE DOCTRINA

§ 1. — De Augustana Confessione

Evangelicae veritati parem habent Tubingenses Augustanam Confessionem nec dubitant quin isti documento honorem ferme aequalem quem sancti scripturae tribuant. Novi quidem et veteri Testamenti verba ut sacrosancta colere solent, veritatem vero ullam inesse Augustanae doctrinae disparem nunquam suspicari viduntur.

Ideo, quum in S. Seripturae studium imcumbunt, non ad inveniendam sed ad probandam veritatem illam quae omnis et perfecta in Augustano documento enuntiatur, Augustanam confessionem ideo *prototypum* dicunt [1] ejusque doctrinam *Orthodoxam* dum contra doctrinae omnes aliae *haereseos* insimulantur. Itaque pro certo habent Lutheranam doctrinam cum antiqua tum Ecclesiae graecae

[1] *Hochestettern. De causa Peccati a 1687*

cum latinae doctrina congruere et nullo repugnare modo contra catholicorum symbolorum precepta.

Dissertationes, undecim habemus de Augustana Confessione quae sane solae non fuerunt articuli de quibus imprimis agitur isti sunt qui doctrinam Romanam, vel Calvinianam obviam eunt. Ideo libellos habemus de articulis IV aug. confess. de *Justificatione*; VI, *de bonis operibus*; XII, *de pœnitentia*; XIII, *de usua sacramentorum*; XVIII, de *libero arbitrio.*

Inter Romanos adversarium imprimis habent Tubingenses Bellarminum Cardinalem cujus operibus operam multam dedisse viduntun, quemque gravem et metuendum hostem ducunt.

Inter Calvinianos ipsius Calvini doctrinam pugnant cum quidem ista a Lutherana discordat. [1]

Lutheri verba primo loco semper referuntur, saepissime maximis literis impressa, quorum similitudo cum verbis. Aug. Conf. nunquam in dubium revocatur.

Videmus igitur quid adversariis, Romanis scilicet et Calvinianis, objecerint Tubingenses nostri ut Augustanam doctrinam firmarent.

Vid. Posthac. Cap. III, § 3.

§ 2. — De disputationibus adversus doctores Ecclesiae Romanae.

De Ecclesia et ejus auctoritate multum disputatur ab auctoribus nostris, ut supra diximus; eorum doctrinas de Ecclesia, de pastoribus et ceteris ecclesiae ministris jam exhibuimus. Romanos doctores saepe nostri nominant *Pontificios*, ipsam que Romanam Ecclesiam *papistam* [1] dicunt vel *Babylonicae captivitatis* [2] nomine notant, et ejusdem sectatores *Papicolas* dicere solent.

De primatu episcopis Romani multum agitur, quam paucis historicis argumentis, multis vero ex Scripturae dictis et imprimis syllogisticis negant. Asserunt nostri postulationem Pontificiorum injustam, et contra mores primitivae Ecclesiae. Petrum probant non fuisse factum Episcopum universalem, nec Ecclesiam *monarchiam*, verbis Christi dicentis Petro : Pasce oves meas [3]. In eamdem descendit sententiam Ch. Muller, Mulleri, S Theol. professoris filius, quum argumentatur *de clavibus Regni calorum*.

In libello suo *De Purgatorio*. J. W. *Rädl* romanam

[1] J. *W. C. Mich. Muller. De clavibus regni colorum*, p. 1.
[2] *J. W. Rudl, a 1685. De purgatoris*, p. 3.
[3] J. L. Caspar. *De statu ecclesiae primitivae.*

doctrinam de Purgatorio evertere conatur, quam dicit : « non postreman Regni Pontificii columnam ; » Hanc sic exposuit : saepe homo, qui peccavit mortaliter, liberatur a reatu culpae et pœnae aeternae, non tamen ab omni pœna temporali. Sed homo discedens ex hac vita cum reatu pœnac temporalis non potest in cœlum admitti : nihil enim inquinatum intrabit in regnum cœlorum. Ergo debet superesse *locus purgatorius*, in quo illa temporalis pœna persolvatur.

Majorem negat noster. Aut enim iste peccator est in statu irae, aut in statu gratiae. Si in statu irae, non pœnae saltem temporalis sed et eternae reus est. Si in statu gratiae, non tantum a reatu culpae et pœnae aeternae sed et ab omni pœna temporali liberatus est. Nulla est igitur necessitas purgatorii loci.

Pontificii argumentum de purgatio exprimunt ex. II Macch. XII ; Quibus respondit Rädl librum hoc esse apocryphum, a quo proinde fidei dogmata solide probari non possunt.

De calice Eucharistico argumentatur J. Fr. Caspar[1], ut defendeat doctrinam Lutheranam de Calice. Sed nugarum amplam praefert copiam ; disputat enim de forma calicis quo christus usus est, an fuerit ex argento

[1] *Calix Eucharisticus, seu Exercitatio theologica occasione loci I Cor. XII v. 13* : In unum spiritum potati summus. 1682.

necne, an duas ansulas habuerit, quaeque fuerit illius mensura.

Inde ad doctrinam pergit. « Calix, inquit, eucharisticus duplicem continet tum teneri quod vinum, tum caelestis quod sanguis dominicus. » Negat Bellarmini et Pontificiorum doctrinam qui asserunt sanguinem solum in calice esse. Falsum est, inquit ille, illa verba Christi : non bibam de fructu vitis etc., pertinere tantum ad calicem qui datus fuit post agni pascalis manducationem et non insimul ad calicem encharisticum.

Quaestiones de usu vel sumptione Calicis tum aggreditur auctor. Breviter narrat ille contentiones magnas quae de hac materia inter Christianos surrexerunt, sub. XIV^e saeculi finem, in Bohemia, usque ad decreta Concilii constantiensis, quibus ereptus est Calix laïcis, quam doctrinam probavit concilium Tridentinum his verbis : « si quis dixerit sanctam Ecclesiam catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicarent, aut in eo errasse ; anathema sit. »

De *sanctorum invocatione* disseruint *Woff Lud-Liesching*[1] Quantum sit periculum et sacrilegium in sanctorum invocatione facile intelligitur ex his

[1] Liesching. *De sanctorum invocatione*, p. 18.

verbis : » Imo qua ratione papistae honorem mediatoris verum observent, Tursellinus prodidit, qui vix aliud discrimen inter Christum et Franciscum, illum typicum, practer vestem agnoscit, quando utrumque ita comparat :

Exue Francisco tunica, laceroque cucullo, qui Franciscus erat, jam tibi Christus erit.

Francisci excuviis (si qua licet) indue Christum, Jam Franciscus erit, qui modo Christus erat [1].

De Sanctae scripturae perspicuitate duas habemus, dissertationes, quarum alteram proposuit *Thomas Binder*, Balingensis [2] alteram B. F. Hummel [3] Prior horum scriptorum in sententias Bellarmini argumentatur, syllogistica forma, principiumque hoc proposuit ex verbis Lutheri : *Scriptoram esse ipsam per se certissimam, facillimam, apertissimam.*

Alter quoque negat sententiam eorum qui scripturae intelligentiam Christianis omnibus abnuunt « Licet, inquit ille, Scriptura sacra sublimia Fidei mysteria proponat, et passim difficilia intellectu contineat, hoc tamen non obstat, quominus in iis, quae ad salutem creditu necessaria sunt, ita clara et perspicua esse dicatur, ut Christianus adhibito pio

[1] Liesching. *De sanctorum invocatione*, p. 18.
[2] Anno 1670.
[3] Anno 1684.

scrutinio sensum a S. Sancto intentatum assequi possit[1]. »

Falsam insuper asserit Hummel doctrinam eorum qui plures et distinctos sensus in eadem scripturae sententia reperiri dicunt. Denique asserit non opus esse petere interpretationem scripturae ab aliquo visibili judice, Pontifice silicet Romano.

Alias Romanorum errores *oppugnant* nostri Tubingenses mnltis in dissertationibus *de Clavibus Regni cœlorum, De cathedra confessionali*, de *libero arbitrio*, de *bonis operibus*, etc.

---

§ 3. — De disputationibus adversus Calvinianos ceterosque Reformatorum sectatores.

Ut facile fingi potest, multum nostri theologi pugnant in Calvinianos quorum doctores et imprimis Calvinum ipsum accurate cognovisse viduntur quorumque locis[2] in multis[3] opera citant.

De *praedestinatione* quae est Calvinianorum dogma notissimum mentio est frequens. In suo libello *de Philanthropia Dei*[1]. J. Ph. *Hoeniger* Calvini Institutionem citat[2], quem librum haereticum

[1] p. 38.
[2] Anno 1689.
4, 3, C. 24, § 15,

dicit. Principia haec adversus Calvinianos propo nit.

1° *Philanthropia* Dei est maxima.

2° *Philanthropia* Dei est seria. Nam ut dixit propheta : *Deus non vult impii mortem sed ut convertatur et vivat.* De qua sententia argumenta adducit Bezae, Petri Martyri, Augustini, ut firmaretur doctrina haec : non possibile est Deum *velle* plerorumque mortem et damnationem. Si Dominus, inquit Hoeniger, jussit legem suam praedicari omnibus, omnibus proposuit ea quae futura essent utilia et necessaria, postremo in omnes magna effudit beneficia... qui potest dicere maxima hominum partem a vocatione et ceteris beneficiis Dei esse exclusam ?

3° *Philanthropia Dei est catholica.* « Si enim Deus vult omnium hominum salutem, omnibus et singulis gratiosus erit, omnibus et singulis destinavit redemptionem, omnes et singulos vocat. »

In dissertatione *De creatione, Eb. E. Seefried* acerbe Calvinum incusat : « Horrenda est, inquit, illorum, inter Calvinianos sententia, qui finem creationis statuunt patefactionem non saltem bonitatis, sed et justitiae in damnandis hominibus, eo ordine enumerantes decreta divina, quod Deus prius cogitaverit de manifestanda gloria sua in exercitio misericordiae et justitiae, quoad salutem vel damnationem hominum, quam cogitaverit de creando homine vel permittendo ejus lapsu ita ut creatio et permissio

lapsus habeant rationem medii ad patefactionem misericordiae et justitiae suae tanquam finem, qui proinde vocantur supralapsarii. » Quam doctrinam Calvino professam fuisse probat auctor his verbis *Inst. Rel. Christ.* III, 21 § « Praedestinationem vocamus aeternum Dei decretum quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes, sed aliis vita aeterna, aliis damnatio aeterna praeordinatur, itaque prout ad alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem praedestinatum dicimus etc. : » De quibus haec addit verba Seefried noster «. Horrenda, inquam est sententia, et a plerisque Reformatorum Theologis modernis merito repudiatur, ob grandia imprimis absurda, quae inde sequuntur, quod primus actus voluntatis divina erga quasdam creatures esset actus odii, ante quam odio dignae essent... nec non quod secundum istam doctrinam peccatum esset propter damnationem, cum contra damnatio sit propter peccatum. « [1]

De justificatione quoque discrimen magnum invenimus inter Calvinianos et Tubingenses. De qua sic loquitur N. C. Haselmayer. [2]

« Dum autem universalem hanc pro omnibus

[1] Op. cit., p. 164.
[2] *De satisfactione Christi* a. 1687.

hominibus satifactionem statuimus, absumus longe a Calvinianorum quorumdum liberalitate, qui quidem, destinationem collationis hujus satisfactionis universalem admittunt, sed non absolutam, verum pendentem ab hac conditione, si singuli crederent. Sed talem nos asserimus, quae ex intentione Dei prodesse debuit omnibus et potuerit potentialiter prodesse omnibus et actu sufficiens sit et maneat pro omnibus peccatis et peccatoribus, in quibus etiam singulis aliquo modo sese exerat, sive objective, sive subjective,... sine tamen praejudicio universalitatis supra assertae, quam cum illa agnoscit Scriptura.

Sic, idem auctor, ipsam satisfactionem definit : « Formaliter constitit satisfactio non in acceptilatione a Deo vel per plenipotentiam, vel per singularem prædestinationis gratiam, sed in ipsa omnium eorum, quæ nos debebamus, exactissima et sufficientissima solutione de rigore justitiæ requisita, in qua infinitum illud jus potuit acquiescere ; quæ omnia ex superioribus hic supposuimus [1] ».

De libero arbitrio disputat *Hiéronymus Magirus* occasione articuli xviii[i]. Augustanæ confessionnis [2]. Arminianos haereseos insimulat, quorum ita ab eo refertur doctrina :

[1] *Op. cit.* pp. 14-15

[2] *De libeo arbitrio*, a. 1687.

Homo non ideo nascitur cum impotentia ad posse salvari, quia Adamus semel de fructu vetito, ante quinquies vel circiter sexies mille annos comederit; nec homo natura pronus est ad odium Dei nec nascitur mente plane excaecata et voluntate necessario ad malum propensa, nec fructus peccati Adami est impotentia ad bonum et inevitabilis operatio mali. Quas sententias acerbe incusat erroris, est diximus supra, sed nullis maximi ponderis argumentis doctrinam hanc falsam evertere tentat. Approbanda tamen est ejus conclusio : « Ad vitam cœlestem in Evangelio revelatam ac promissam opus est nova genitura, quae contingit per verbum et sacramenta, Deo intus operante, et per spiritum sanctum confirmatur ».

Insuper multum assentitur quibus de Libero arbitrio docentur ab Helvetica confessione. « Non (post lapsum) sublatus quidem est homini intellectus, non erepta ei voluntas et prorsus in lapidem vel truncum est commutatus; ceterum illa ita sunt imminuta in homine, ut non posset amplius, quod potuerunt ante laqsum. Intellectus enim obscuratus est, voluntas serva [1] ».

De causa peccati disseruit Gottofredus Conradus Hochstetter [2]. Errores quidem incusat ille Calvinum

[1] *Op. cit.*, p. 375.
[2] Anno 1688.

dum dicit : Deum *velle* peccata, imo voluntate sua prædeterminare et prædefinire peccatum ; « a Deo ipso, dixit enim Calvinus, manat efficacia erroris, ut mendaciis credant... Homo, justo Dei impulsu agit quod sibi non licet. Inst. Lib. III. 23, § 4 § 7. Decretum asserit fuisse a Deo ut sua defectione periret Adam ». Et paulo post : « Unde factum est inquit rursus Calvinus, ut tot gentes una cum liberis eorum infantibus æternæ morti involveret lapsus Adæ absque remedio, nisi quia Deo ita visum est ? Decretum quidem, horribile, fateor, inficiari tamen nemo potest, quin prescierit Deus, quem exitum esset habiturus homo, antequam ipsum conderet, et ideo *praesciverit quia decreto suo sic ordinaverat* (§ 7) et : « Cadit homo, Dei providentia sic ordonante (§ 8).

Sed magna vituperatione reprehensa Calvini doctrina, nullum adversus istam introducit noster argumentum aliud quod abest longe a doctrina Lutherana quæ ita se habet : « Docent Ecclesiae nostræ quod tametsi Deus creat et conservat naturam, tamen causa peccati est voluntas malorum, videlicet Diaboli et impiorum, quæ non adjuvante Deo, avertit se a Deo, sicut Christus ait. Joh. 8 : cum loquitur mendacium ex seipso loquitur [1]. »

[1] (Aug. Conf. art. XIX).

Apud auctores nostros cetera invenies multa quæ de fide Augustana defendenda scripserunt adversus Calvinianos, arminianos Bohemistas et alios nonnullos ; sed satis ut ex his quae diximus appareat Tubingensium doctrina quæ fuerit, circa finem XVII[i], sæculi, quod hac dissertatione explicare nobis imprimis proposuimus.

CAPUT III

DE ARGUMENTATIONE

§ 1. — De modo disputandi

Argumentatio in plerisque Tubingensium dissertationibus modo scholastico habetur, thesisque syllo-gismo probatur. Sic enim fere semper disputationes ordinem constituunt nostri :

1º *Major* ponitur, id est Principium quod interdum verum fungitur, quod vero quam plurimum argumentis nonnullis probare conatur scriptor.

2º *Minor* introducitur ex diversis temporum vel rerum conditionibus.

3º *Consequentia* colligitur ex majoris et minoris principiis.

Specimen hoc syllogismi excerpimus ex libello J. F. Casparis cui titulum imposuit Calix Eucharisticus :

I. *Major.*— Qualiter sacra eucharistia fuit administrata in Ecclesia primitiva tempore apostolorum, taliter hodiernum administrari debet in Ecclesia.

II. *Minor.*— Atqui non sub una saltem specie panis, sed et sub altera specie vini seu calicis administrata est sacra Eucharistia in Ecclesia primitiva tempora apostolorum.

III. *Consequentia.* — Ergo et hodiernum non sub una saltem specie panis, sed et sub altera specie vini seu calicis administranda est [1]

Et alibi :

I. *Major.* — Sub qua specie sacramentum caenae exhibitum est universis Corinthiis, sub eadem specie exhibendum est hodernum, non solis clericis sed et laïcis, adeoque in Universum omnibus communicantibus.

II. *Minor.* — Atqui sub specie vini sacramentum caenae exhibitum est universis Corinthiis.

III. *Consequentia.* — Ergo sub specie vini ex hibendum est hodiernum non solis clericis, sed et laïcis, adeoque in Universum omnibus communicantibus.

Haec est tabula libelli *Gothofredi Pfaff* : *De Magistratu politico.*

[1] Op. cit. p. 11.

Sectio I. — **Onomato — Pragamtologica**

I. 1° Etymologia.
   2° Homonymia.
   3° Synonymia.

II. *Pragmatologia.*

   1° Descriptio.
   2° Causae.
   3° Officium.
   4° Adjuncta.
   5° Opposita.

Sectio II. — **Analytica.**

Primum argumentum desumitur ab *aequo. Secundum argumentum* deducitur *ab ipsius rei natura.*
Tertium, ab *Honesto.*
Quartum, ab *Inhonesto.*
Quintum, a *Periculoso.*

Sectio III. — **Erotematica.**

Quaestio I. – Num Deus ordinis politici auctor sit indigitandus ? aff.

Quaestio II. — An homini Christiano tempore.

Nov. Testam. licitum sit gerere magistratum ? aff.

Quaestio III. — An cura religionis etiam ad magistratum politicum spectet ? aff.

Quaestio IV. — An licet magistratui, praesertim N. Test. pœnas irrogare capitalis ? aff.

Quaestio V. — An personae ecclesiasticae a potestate civilis magistratus sint exemptae ? neg.[1]

Sec exponitur ductus dissertationis quam proposuit.

And. D. Carolus. De *Jure Dei in Creaturas* [2].

Cap. I. — *De definitione.*

1° De Definito.
2 De genere et differentia.
3° De principiis.
4° De subjecto.
5° De objecto.
6° De forma.
7° De fine.

[1] Huic libello sic plaudit Profess. Graft.
Aoniae sophies, Te, vir praeclare, Magistratum
Ob sophiam per me fecit Appolo suam,
Nunc te theologum fore Dissertatio clara,
Clarum testatur, te que manebit honor.

[2] 1684.

Cap. II. — *De affectionibus.*

Cap. III. — *De actibus.*

Cap. IV. — *De usu.*

Propositiones interdum nonnullas enuntiant libellorum auctores quas non probant, quae vero erant ad publicam disputationem reservatae ; sic in sui libelli initio haec insuibantur a W. Jaeger :

I. Vis et efficacia Scripturae sacrae non est tentum objectiva et moralis, ut censit Turretinus cum sociis, sed subjectiva, interna et vere Divina.

VII. Gratia universalis, prout explicatur a Mose Amyraldo et aliis Irenicis facit Deum hypocritam.

IX. Falsum est Tubingenses ponere statum exinanitionis Christi nuda ; Κρυψει, atque adeo facere illum statum tantum simulatorium, etc.

---

§ 2. — De Patribus et recentioribus scriptoribus

Habent Tubingenses, ut diximus supra, Ecclesiam Lutheranam eamdem esse atque primitivam, doctrina, forma, cultu, ministeriis. Id ut probaretur

patrum testimonia copiose afferunt et imprimis Augustini. Nullum enim suspicantur discrimen inter S. Augustini et Augustanae confessionis Doctrinas; in omnibus fere dissertationibus haec legimus : « Consentanea est doctrina nostra Augustinianae » « vel consensus cum Augustini doctrina patet ».

Ceterum multos antiquae Ecclesiae doctores abundanter citant nostri. In sua dissertatione *De statu Ecclesiae primitivae* patrum horum dicta refert Wolf. Jaeger : *Polycarpi* (Epist. ad Philip) ; *Ignatii* (Epist. ad Magnes); *Hieronymi ; Eusebii ; Clementis ; Cypriani, Gregorii Magni ;* aliorum.

Saepe quoque haec reperimus verba : « Conspirat nobiscum Ecclesia graeca vetustior ».

Midii aevi minus citantur doctores, maximumque opus scholasticam minimi habent nostri.

Interdum tamen referuntur verba Thomae Aquinatis, Anselmii, aliorumque ex inclytis medii aevi doctoribus.

Multa contra scriptorum XVI[i] et XVII[i] saeculi dicta citant Tubingenses, quum ex doctoribus Ecclesiae Romanae tum ex Reformationis sectatoribus.

Ex Romanis primo citatur loco Bellarminus cardinalis quem gravem et metuendum hostem ducunt (dicitur *Atlas* Bellarminus a quodam ex nostris auctoribus) : allegantur quoque scripta *Petri de Marcha*, parisiensis archiepiscopi, *Becani*, *Cassandri*,

Adami Burghaber Jesuitae, *Dezii* Jesuitae et fratrum Walemburgiorum.

Synodorum quae primis post Christum saeculis habitae sunt et praesertim Nicaeni saepe decreta referta sunt; Concilii quoque Tridentini sententiae quam plurimum citantur ex quibus Ecclesiae Romanae patet doctrina; quorum que textus ad verbum citatur.

Calvinianarum vel aliarum quae a Lutherana segregatae sunt ecclesiarum, multum citantur Doctores, et Ipsius Calvini imprimis referuntur verba, quae quidem cum Lutherana consentiunt doctrina multum probantur, vitupirantur vero acerbe quum ab ea discordant. Dicta allegantur saepissime Bezae, Mosis Amyraldi, Helveticae confessionis, Gallicanae, Belgicae, Anglicae.

Citant quoque nostri ferme semper ut hos refutant et damnant doctores *Unitarios*, quos *Fratres Polonos* dicunt; *Arminianos ; anabaptistos* et mysticos inter quos *Bohemistas*, multosque alios.

Non insuper abstinent a citationibus ex profanis scriptoribus excerptis, Virgilii sciliat et aliorum interquos satis est Aulum Gellium et Martialem referre [1].

[1] Minister Veteli puer falerni
Ingere mi calices amariores.
Aul. Gell. Noct. Att. (l. 17, cap. 20).

§ 3. — De scriptura sacra

Scripturam, ut jam diximus, venerabilem et neritatis fontem habent Tubingenses, sed quum hanc explicare tentant, semper ad Augustanae confessionis probandam veritatem, sed non ad ipsius scripturae sensum inveniendum. Nec ullam mentionem apud eos invenires Judicii cujusdam de integritate Veteris aut Novi Testamenti librorum aut de horum auctoritate vel auctoribus. Dicta tantummodo colliguntur ex libris scripturae ad doctrinam, de qua agitur, confirmandam.

Nec mirum, quum ita res se habeant, si raras envenires explanationes textus quum Veteri tum

(Cit a casparo in dissert. De calice Eucharistico, p. 3).

Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho.

Virg. Aeneid. 1.5 (Cit. ab. eodem p. 2).

In dissertatione *de Incarnatione* (1687) haec Maronis referuntur a J. A. Machtolph :

Utima Cumaei venit jam Carminis aetas,
Magnus ab integro saeclorum, nascitur ordo,
Jam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
Jam nova progenies caelo demittitur ulto, etc.

In dissertatione de Lapsu fidelium (1688) *W. E. Faber* Martialis non dubitat quin citaret versus :

Cui tres capilli quatuor que sunt dentes
Quae audit ducentas nupturire post mortes
Virumque demens, cineribus quê suis quaerit prurire ?
etc.

Novi Testamenti in scriptoribus nostris, quibus hoc unum curae fuit, fidem scilicet Augustanam, parem scripturae doctrinae esse probare. Attamen praebent Tubingenses nonnulla rudimenta interpretationis Scripturae et interdum non sine crudítione et grammatica arte.

Veteris Testamenti textum pauci aggrediuntur. In quidem, libello de *satisfactione* Christi, W. *Conradus Haselmayer* Hebraei vocabuli הֵשִׁיב (Genès 50 : 15. Prov. 17 : 13. Levit. 6 : 4 etc.) sensum explicat, non sine doctrina; sed de voce unica agitur [1]

De verbis hebraïcis quoque disserit *Lud Laux* in dissertatione *De sancta Trinitate* quam doceri existimat pluralibus verbis אֱלֹהִים (Gen. 1, v. 1) ; חַיִּים (Deut. 5 : 26) et קְדֹשִׁים (Jerem. 24 : 19, « necnon, inquit ille, verbo plurali de seipso loquitur Deus, dicens נַעֲשֶׂה *faciamus* hominem ad imaginem nostram (Gen. I, v. 22). » His a majoribus traditis, argumentis trinitatem doceri in Veteri Test. arbitratur noster.

Ex Ezech. XXXIII, 11 verbis dissertationem suam, cui titulum imposuit φιλανθρωπία Dei, delineat Philippus Hoeniger ; textum quidem hoc graviter scrutatus est. Quem enim false asserit, ex hebraico

[1] Sententias affert auctor nonnullorum, schergeri, Dorschei Talmudi (cod. sans. 6 : 3 etc.)

textu, interpretari his verbis. « Nollo mortem impii sed ut convertatur et vivat. » Ex ejus sententia textum hoc opportet his verbis : « Non *delector* morte improbi, sed (sc. delector) quum convertitur... Quam ut probaret translationem multa refert verba Bezae, Petri Martyri, Spanhemii, Piscatoris etc. [1]

Ad Novi Testamenti interpretationem amplius se dederunt Theologi nostri, qui, in fere omnibus libellis, loca multa. N. Testamenti explicant quorum sensus e radicibus graecis subtiliter colligitur. Sed

[1] De sensu vocis חפץ imprimis agitur. Has sententias refert auctor noster : *Chamieri* : non vult mrteom peccatoris hoc eodem modo : nam et Ezechiel usus ut verbo חפץ qui significatur non simpliciter *Velle*, sed acquiecere rei alicui, *delectori* desiderare .. *Haeggeri* : aliud est *velle* mortem, aliud delectari, at qui per *delectari* interpretandum esse jam demonstravimus, etc... sic pergit auctor libelli : Licet vox Hebraea בשוב ad verbum redattur : In convertendo, tamen ex. h. l. vere probati, Deum velle ac desiderare, ut improbi convertantur et vivant, ac proinde praefixum ב recte exponi posse per *ut* ex sqq. ratt. patet etc. Dist. inter praefixum ב solitarie ae socie spectatum non usurpari τελικῶς. Tr. socie N. A. hic non dissente *Piscatore* cum verbo antecedente חפץ construitur, cujus est haec indoles, ut, quando cum Infinitivo, ut h. l. construitur, Infinitivus iste sit accipiendus τελικῶς hoc sensu אחפץ ב שוב *volo in converti* h. e ut convertatur. Neque hoc sive in graeca, sive in latina lingua est insolens : omnia enim Verba voluntatem ac desiderium significantia, si cum Verbo infinitivo construantur, sic comparata sunt, ut Infinitivus iste τελικῶς verti recte queat, et, cum sensus flagitat, debeat, notante *Prûcknero* (*op. cit.* p. 19).

nulla pars scripturae ab eis judicitur ut scriptorum sacrorum theologicae doctrinae eluceant; semper contra ut firmaretur doctrina quam Ecclesia docet Lutherana. Insuper quidam ex his non dubitant quin dicta Scripturae explicarent, nullis graecis inspectis vocabulis, teste J. Baumanno, qui, ex quatuor dictis Scripturae exhibuit *porismata* XII, versione latina tantum adhibita.

Suunt vero multi qui graecus textum usurpant, cujus ἐξήγησιν, etymologica ac grammatica arte exponere non abstinent, quique ad confirmandam sententiam suam scriptorum diversorum testimonia allegant [1].

Translationes quoque citant Scripturae, id est Vul-

[1] Saepe Calvini testimonium adhibetur. Vid. Dissert. *de Reformatione Ecclesiae* super Actor XXVI, 10, 11, quam proposcuit J. C. *Cucuel* (anno 1691), p. 1 : « Notamus primo in hoc textu, quinam ipsi reformationis indigi fuere visi? Hos describit Paulus 1 ab ipsorum multitudine, vocans eos πολλοὺς, innuens fuisse utriusque sexus, ἄνδρας τε καὶ γυναίκας omnis aetatis, in quovis statu, sive œconomico, sive politico, sive Ecclesiastico, inopes fuerint aut opulenti, sani corpore, vel aegroti, simplicesne an versuti, docti et indocti?... Hinc etiam Calvinus h. l. commentatur : « Par ceci nous recognoissons qu'il y avoit mesure, en la première Eglise, beaucoup de gens de petite valeur, veu qu'après avoir fait profession d'estre des Escoliers de Jesus-Christ, ayans depuis perdu courage, ou de crainte ou par battures, ils ont non seulement renié et désadvoué le fils de Dieu, mais aussi blasphémé son sainct nom. » (*Op. cit.*, p. 1. 2.).

gatam et syriacam, Gallicam et imprimis Germanicam, quibus accedunt sententiae theologorum tum antiquorum cum recentiorum, Lutheri scilicet, Bezae, Lyrae, etc. Prorsus omnibus his in dissertationibus nullam invenies ἐξήγησιν veram sed fragmenti cujusdam tantum textus sacri interpretationem ad probandam Lutheranae Ecclesiae fidem.

CONCLUSIO

Reformatorum primi alumni studiose operam dederunt primo loco ad christianae Veritatis indagationem, dein ad hujus Veri propugnationem. Sed mox, in Germanicis praesertim ecclesiis, Fidei augustanae defendendae cura in Cathedra, tum praedicatoris quum professoris, omnia praestitit. Labor itaque theologicus atque conatus, his in Ecclesiis, ad pugnam pro Fide adversus multos hostes pertinuit, et imprimis in Romanos et Calvinianos qui Ecclesiae Lutheranae anceps minabantur periculum. Declamatio enim adversus haereticos in predicatione et in Theologicae professione argumentatio, ad istos confundendos, in locum, tum pietatis, quum ingenuae veritatis exquisitionis, successerant.

In Ecclesia saltem, sub annum circiter MDCLXXX, quidam pastores, Speneri doctrinis propulsi iteratis votis studium moralis et Practicae Theologiae repetiverunt. Etenim in dissertationibus quae in pastorilibus colloquiis Ecclesiae Rotemburgicae prolatae sunt, hujus modi pia licet desideria legere : « Neque

sufficit, Pastorem sacra Biblia semel atque iterum evolvisse, et sacrosanctae Theologiae locos communes vel fundamenta theorica imbibisse ; sed opus praeterea illi est ut facultate in publico loquendi et agendi expedita et prompta praeditus sit : Doctrinam pro temporum, locorum, personarum, et praesentis status ratione ad aedificationem applicare queat : cum efficacia et penetratione ad populum perorare possit, ita ut aculeos in auditorum cordibus relinquat... Quam tam e Pastorum, quam ipsarum Ecclesiarum re fuerit, munia Pastoralia cum cura considerasse et fidem, diligentiam ac pietate ministrorum usque et usque explorasse, ne caecis caecus dux adhibeatur, quemadmodum hand rare fieri passim videmus[1]. »

Sed dum rari in Ecclesia sic recte sentiebant, antiquae errores in Universitate adhuc vigebant, cujus professores summis enitebantur viribus ut suos discipulos ad pugnam in *Heterodoxiam* pararent.

Quibus ita se habentibus non magnum erit opus comperire quid Tubingensium Theologiae defuerit.

Practicæ enim *Theologiae* studium magna ex parte abesse liquet. Nostrorum vero ex sententia, officii Pastoralis summa ex duobus constat, administratione scilicet sacramentorum et privata confessione. Ideo de arte praedicandi, vel de peccatoribus ex somno

[1] Waldtmann : *De officio homiletico.*

excitandis, vel quidem de miserorum aegritudine lenienda, nulla est, istis in libellis, mentio. Imo, non est opus ut probi sint pastores et integri : sacramenta enim semet ipsis et quodam magno effecti virtutem habent.

Quod ad *historiam* pertinet, nostros invenimus potissime praestantes scientia Patrum et Doctorum Ecclesiae tum primitivae, tum modernae. Sed tantum abest ut eruditio illa utilitati sit ad judicandum de rebus gestis vel futuris, ut ad usum pugnacitatis semper accomodetur. Qui fuerint insuper *Codicis sacri* scriptores, quibus vixerunt temporibus, de ipsorum. Librorum Veteris ac Novi Testamenti auctoritate et integritate nullo modo curant nostri, apud quos *Scripturae explanatio* inops et exsucca est : Nunquam enim vacant sacris studiis ut Christianam Veritatem inveniant, quam amplissime et acute in Augustanae confessionis articulis enuntiari arbitrantur ; ideo opus unicum theologis esse sentiunt, hanc scilicet fidem defendere, quod ut faciant laborant. Quin etiam, quum Scripturae sacrae studiis vacant, semper est non ad quaerendam sed ad probandam Veritatem.

Ut pauper ἐξήγησις, sic nullum fuit *opus dogmaticum*. Etenim nulla erat necessitas theologis nostris *institutionis* cujusdam *theologicae*, quum perfectam ac sanctam, id est augustanam Confessionem habe-

rent, cui nihil addendum, nihil qui ex ea detrahendum existimarent.

Multorum, isto modo, non minima eruditio atque labor in arido et irrito conatu delapsi sunt, omnisque scientia theologica ac Ecclesiae vita per multos annos formulis et syllogismo impediti manserunt. Necesse erat ut flaret spriritus novus, cujus flatu ex scholasticis cineribus Ecclesia et theologia redivivae exirent.

Vidi :

Publicae disputationis Praeses
JOH. VIÉNOT.

Vidi :

Fac. theol. ev. Parisiensis Decanus
ED. STAPFER.

INDEX DISSERTATIONUM

PROF. PRAES	DISSERT. AUCT.	LIBELL TIT.	ANNO
Joh.-Ant. Winther.	Thomas Binder.	De perspicuitate scripturæ.	1670
Georg.-H. Keller.	G. Pfaff.	De magistratu politico.	1681
Michael Müller.	W.-L. Liesching.	De sanctorum invocatione.	1682
G.-H. Häberlin.	J.-F. Caspar.	Calix Eucharisticus	1682
G.-H. Häberlin.	A.-D. Carolus.	Jus Dei in creaturas	1684
G.-H. Häberlin.	B.-Frid. Hummel.	De perspicuitate scripturæ sacræ	1684
G.-H. Häberlin.	J.-W. Rädl.	De Purgatorio.	1685
Joh.-Ad. Osiander	J.-C. Klemm.	De Justicatione.	1685
Joh.-Ad. Osiander	C.-F. Klinger.	De bonis operibus.	1686
Joh.-Ad. Osiander	C.-C. Joss.	De hypocritis et malis ecclesiæ ministris.	1686
Joh.-Ad. Osiander	L.-H. Daser.	De confessione.	1686
Joh.-Ad. Osiander	M. Neusser.	De pœnitentia.	1686
Joh.-Ad. Osiander	T. Cellarius.	De usu sacramentorum.	1686
Joh.-Ad. Osiander	J.-G. Stuber.	De ordine ecclesiastico.	1687
Joh.-Ad. Osiander	J. Zabanius.	De ritibus ecclesiasticis.	1687
Joh.-Ad. Osiander	C.-M. Simon.	De extremo judicio.	1687
Joh.-Ad. Osiander	H. Magirus.	De libero arbitrio.	1687
Joh.-Ad. Osiander	G.-C. Hochstetter.	De causa peccati.	1687
G.-H. Häberlin.	W.-C. Haselmayer	De satisfactione Christi.	1687
G.-H. Häberlin.	H.-L. Laüx.	De S. S. Trinitate.	1687
G.-H. Häberlin.	E.-L. Seefried.	De creatione.	1687
G.-H. Häberlin.	J.-K. Bitsche.	De providentia.	1687
Joh.-Ad. Osiander	J.-A. Machtolph.	De Incarnatione.	1687
G.-H. Häberlin.	J.-P. Höniger.	φιλανθρωπια Dei.	1688
G.-H. Häberlin.	J. Schülin.	De tolerantia christianorum	1688
Mich. Müller.	W.-E. Faber.	De lapsu fidelium.	1688
Joh.-Ad. Osiander	J. Wolfgang Jäger.	De statu ecclesiæ primitivæ.	1689
Mich. Müller.	C.-Mich. Müller, filius.	De clavibus regni cœlorum.	1690
G.-H. Häberlin.	J.-U. Frommann.	De primo hominis statu.	1690
Mich. Müller.	J.-C. Cucuel.	De cathedra confessionali.	1690
G.-H. Häberlin.	J.-L. Caspar.	De statu eccl. primit.	1691
G.-H. Keller.	J.-C. Cucuel.	De reformatione eccles.	1691
Mich. Müller.	Gab. Westphal.	De vocatione minist. ecclesiæ.	1691
Mich. Müller.	J.-W. Baumann.	Ex. IV dictis scripturæ.	1691
G.-H. Häberlin.	F. Haage.	Torus Clericorum.	1691

INDEX LITERARIUS

Exercitationes Theologicæ Tubingenses. In-8° Tübingen.

Nanz. Der Pictismus in Würtemberg.

Panchaud. L'œuvre de Spener. Lausanne 1890.

H.-F. Eisenbach. Beschreibung u. geschichte der stadt u. Universität Tübingen. 1822.

J. Vienot. La vie ecclésiastique et religieuse dans la principauté de Montbéliard au XVIII^e siècle. 1895.

J.-F. Astié. Histoire de la Théologie moderne (Mann).

Fréd. de Rougemont. Essai sur le piétisme, d'après Hengstenberg. Neuchâtel 1842.

Herzog. Real Encyclopädie.

Lichtemberger. Encyclopédie des sciences religieuses.

TABULA

ALENÇON. — IMPRIMERIE VEUVE FÉLIX GUY ET Cie